RELATIO INCARCERATIONIS ET MARTIRII, R.P. IOANNIS...

John Ogilvie

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
37 A
32

Bibliotheca
Majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

3.4.22.
I 6 D

Egilberti Martini

R.

111

121

十七

Coll. Rom. Soc. Jesu. [illegible] B. 5

RELATIO

Incarcerationis & Martyrij,

R. P. IOANNIS OGILBEI, NATIONE SCOTI, E SOCIETATE IESV PRESbyteri,

DESCRIPTA AD VERBVM EX AVTOGRAPHO IPSIVS MARtyris, in Carcere exarato in vrbe Glaſguenſi, in Scotia, octiduo ante mortem: Continuata vero deinceps per concaptiuos eius in exilium miſſos, qui eius Martyrio interfuerunt.

Duaci primum excuſa: Nunc denuo recuſa,

Cum facultate Superiorum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MOGVNTIÆ,

Typis IOANNIS ALBINI.

Anno M. DC. XVI.

Captus eſt B. Martyr, vt narrant concaptiui, circa 14. Octobris, Anni 1614. & Martyrio affectus 20. Martij Anno *1615*.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TYPOGRAPHVS LECTORI.

IOhannes Ogilbeus natione Scotus, Ogilbea familia nobilis, profeſſione Religioſus, Societatis Ieſu Clericus, in qua Societate cum bienne magno pietatis & virtutis ꝓfectu Tirociniũ poſuiſſet, ſimili progreſſu Gretij in Collegio Societatis Ieſu Philoſophiæ, ac deinde Theologiæ operam dedit. Adoleſcens erat viuaci & peracri ingenio, diuini Numinis reuerentiſsimus, ſuorum Maiorum obſeruantiſsimus, æqualibus amabilis, iucundus, officioſꝰ, incredibili animarũ Chriſto adiungendarum deſiderio incẽſus. Submiſsione atq; animi modeſtia cunctis ſubiectus. Sacerdo-

tio initiatus à felicis recordatio-
nis Clavdio Aqvaviva So-
cietatis Iesv Præpoſito Genera-
li, ad Catholicę fidei tum conſer-
uationem, tum propagationem
in Scotiam, patriam ſuam, miſſus,
Collegium Societatis Iesv Mo-
guntinum pertranſiit: in cuius a-
ditu prima illi cura fuit, vt S. Con
feſsione animum expiaret, & ſa-
cris operaretur, quod & altero die
fecit. Quo breui temporis ſpatio
multa ſpiritualia ſolatia, & virtu-
tis documenta prębuit, ac diutur-
niorem hoſpitalitatem recuſans,
ac Martyrii ſitiens, inſtitutũ iter
inſigni alacritate proſecutus eſt.
Hoc teſtimoniũ, à R. P. Giſberto
Scheuichauio Societatis Ieſu The
ologo, q B. Martyri pluribus annis
p̄fuit, datũ hic aſcribere placuit.

EPI-

EPISTOLA R. P. IOHANNIS OGILBEI, AD AMICVM, EX AVTOGRAPHO deſumta.

Domine, Amice mi,

Pax Chriſti, &c.

IN primo Ieſuitarum Collegio trade iſta Rectori; & roga, vt deſcripta correctè Patri Claudio Aquavivæ exemplaria mittat, & pro me oret. Periculum deprehenſionis non ſinit me deſcribere, diſtinguere, aut corrigere, vel partem magnam factorum notare, Quare errata excuſent, & corrigant ex charitate fratres, & pro Iohanne Ogilbeo orent, & cæteris concaptiuis pro Catholica fide.

QVÆ SEQVVNTVR IN AVTOGRAPHO ARGVMENti loco eſſe videntur.

CVM integrum fuerit, concertationes deſcribam; ſane triſtes mihi, lætas Lectori ni fallor: Nam clamore clamor fuit vincendus, non vnius, ſed plurium, & cum ſtrepitu dētium: furores calumniantium cum impetu ex Zelo feruoris, erant reprimendi: adeo, vt cum ſua vera, & in oculis omnium teſtata vitia, obiecta audirent, ac comparata cum fictis calumniis ſuis, ac mendacibus ſuſpicionibus in Catholicos, puderet illos incepiſſe. Dum primo ſyllogiſmo dicto negatam propoſitionem neſcirent ſecundo ſyllogiſmo probare, dicebam: illos non poſſe probare quæ dicerent.

& inſta-

*& inſtabam, vt , ſi poſſent, proba-
rent; alioquin eos malam ac falſam
defendere cauſam, nam qui tacet, cō-
ſentire videtur. Adieci, paratum me,
ſi quæ dicerem, ſcripto inſuper proba-
re, & examinanda ipſorum Collegio
dare. Conquerebantur quod diſtin-
guerem nimis ſæpe, & ob diſtinctio-
nes non paterer illos proſequi, &c.*

EIVSDEM B. MARTYRIS EPISTOLA, AD REVERENDVM PATREM CLAVDIVM AQVAVIVAM,

Societatis Ieſu Præpoſitum Generalem, &c.

Admodum Reuerende Pater in Chriſto, Pax Chriſti, &c.

*AMantiſſime, Cordatiſſime ſenex, & poſt Chriſtum, ac Cœlites, cordis mei dulciſſi-
me amor. Supplicia terribilia ſunt*

torturæ acerbæ: Paternitatis Tuæ Caritatis erit pro me orare, vt pro inuictiſsimo IESV generoſiſsimè occumbam. Chriſtus Te Triariorum ſuorum expertiſsimum Imperatorem diu Ecclesiæ ſuæ munimen conſeruet.

Admodum R^dæ^ Paternitatis Veſtræ
In Chriſto ſeruulus & indignisſimus Filiolus
Iohannes Ogilbeus,

EX ALIA EIVSDEM MARTYRIS EPISTOLA AD EVNDEM R. P. Claudium Aquauiuam, &c.

Concertationes quotidianæ ferè fuere, præcipuæ tamen tres cum doctiſsimis; quæ ferè repetuntur quotidiè à diuerſis. Cum doctoribus ſyllogiſ-

ſyllogiſmis; cum aliis diſcurſu ratiocinamur. Et quia, vt ipſi conquerantur, nimis acri ſpiritu diſſero, bis ſcripto cum ipſis egi, iuſſus reſponſum exſpectare. Sed nulla ſpes impetrandi. Iam nemo me adit diſputantium. Sed cauetur, ne ad me accedant alii, niſi furtim ac raró. Concertationes præcipuæ de Miſſa, de ſancto Petro, de Iudice controuerſiarum. De Miſſa ita ſcripto ſyllogiſmis actum ex tempore, vt inter ſe Prædicantes contenderent; reſponderet mihi, vel oppugnaret me poſtea nemo.

RELATIO HISTORICA
R. P. IOHANNIS OGILBEI

DE SVA INCARCERATIONE ET CONCERTATIONE cum hoſtibus fidei.

EX AVTOGRAPHO DEſcripta.

ANTE ſex menſes Glaſguam veni, vt ab hæreſi quinq; abſoluerem: at finito ſacro, die ſequenti, prodor ab vno illorum, quos Eccleſiæ conciliare debebam. A viro familia nobiliſsimo, & opibus copioſo, mihi à pluribus

bus commendato vt Catholico, & occaſionem reconciliationis à multo tempore quærente. Indixi homini tempus inſtructioni aptũ. Circa horam quartam pomeridianam cum prætoris primogenito in foro ambulo: accurrit interim Archiepiſcopi famulus ſigno à proditore dato, vir familiâ nobilis, & viribus fortis, qui me iubet ad Milordum ire. Ego putans, me ad Vicecomitem, proditoris nepotem (vt condixeramus) vocari, libenter me iturum dixi; & ſic me conuerti, vt abirem. Filius autem prætoris noluit me dimittere, ſed in domum ſuam prius eundum contendit, altero interim renitente. Dum vero officioſè inter vtrumq; litem compono, fit lictorum & ciuium concurſus. Gla-

dium meum occupant, tradunt, trahunt. Peto quid rei eſſet? Satis ne ſani eſſent? non me, ſed alios inter ſe contendere dixi. Quid multis? Tollor in altum impetu vno confluentis populi, & in humeris Prætoris ferè portor in domum; pallium auferunt. Nolle me locum mutare dixi ſine pallio: promittit quiſque ſuum: ego meum volo, & tandē extorqueo. Exclamo in barbariem furentis populi, promittens fore, vt totus mundus aliquando ſciret, quam barbarè me tractaſſent, nemini nocentem, ſine vlla iuris formulâ vel cauſſâ dictâ.

Dum iſta fierent, in altera vrbis parte Epiſcopo dicitur, necatos eſſe, quos ad me miſit, cædeſque fieri, & vrbem in armis eſſe.

Quo

Quo audito nuncio, nobilibus & Baronibus, qui forte tunc in vrbe erant, conuocatis, ſtipatus in forum venit: pacata omnia videt, vbi eſſem, requirit: (Iā nox erat) In domo Prætoris illo die electi, eſſe me aiunt; Eo ſe cũ toto comitatu confert, meque inter menſam, & murum ſedentem euocat. Pareo; & me alapa cædit, dicens: nimis audax eras, in reformata vrbe Miſſas tuas dicere. Reſpondeo: non agis vt Epiſcopus, ſed vt carnifex me cædendo. Tum quaſi dato ſigno vndique pluunt in me alapæ, capilli è barba trahuntúr, facies vnguibus laceratur, donec fœditate rei motus Comes Flemingus auctoritate, & manu cohibet pulſatores meos. Tunc vix cerebro ad ſtatum ſuum reddito à cõmo-
 tione

tione tot plagarum capitis, iubeor nudari: quod fecerunt ſolutis ligulis & fibulis, ſtatim aliquot viri: & dum induſium eleuant, verecundia ad me reuerſus, exclamaui: impudentiſsime, quid ibi viſurus es, quod tu non habeas, ſi vir es?

Breuiarium inuẽtum rapiunt cũ compendio omnium quæſtionũ controuerſarum Religionis: aurum in vna; argentum, quod habui in alia burſa, rapiũt; cũ Lipſanotheca argentea, & puluere lapidis Bezar, ac gemma vna, & ſigillo, quo literas ſignabam. Ex hoſpitio equum capiunt cum aliis die ſequenti; ſupellectilem Eccleſiaſticam cum literis Patris Patricij ad res noſtras inueniendas

in Sco-

in Scotia, & nominum catalogo Patris Murdochi, reperiunt à quodam Gallo proditam. Loco tutiſſimo erant, ſi fides fuiſſet, & ſilentium hominibus.

Minantur extrema, Rideo minaces vultus, & verba. Minantur cippum. Peto promiſſum. Dare recuſant, dicentes, ſe humaniores eſſe. Reſpondeo, at mentiri non eſt humanitas: cur promittitis, quod non datis? Carceris cuſtos me mirabilem dicit: captiuos enim non vrgere, ſed rogare ſolere Magiſtratũ, ne puniat. Reſpõdeo, merito ſane faciunt hæc, quos pudet, vel pœnitet cauſſæ captiuitatis talis, aut qui capi, aut plecti metuunt. Ego vero glorior cauſa, & triumpho pœna tali. Ait ille: vide quid agas, & cui loquaris.

quaris. Reſpondeo, iam vidi: at tu videto, vt clauſo carcere dormias in craſtinum, Abiit ille.

Die ſequenti è carcere ducor ad aulam Epiſcopalem, vbi prædicantium, & Baronum magnus erat concurſus. Ex Senatu regio duo erant vocati, introducor igitur, ſed ægrotus plagis heſternis, & agitatione inſueta. De æquiuocationibus in iurando, de mentali reſeruatione multa dicunt, & ex me audiunt, adeo acri ſpiritu (ſic enim Scythica rabies Prędicantium frangitur) ac poteramus vtrinque, donec pigeret illos talia mihi proponere, qualia defendęre non poſſent. Petunt ſi nobilis eſſem, Dixi me eſſe, & ante me parentes. Petunt: in dominiis Regiis dixiſtine miſſas? Reſpondeo, ſi hoc

ſi hoc eſt crimen, non iuramento, ſed teſtib. debet examinari. Probabimus (aiunt) teſtimonio illorum, qui te viderunt. Reſpondeo, ſi teſtes vobis ſatisfaciunt, eſto: mea negatione non infirmabitur, nec cōfeſſione roborabitur ipſorum teſtimonium, donec mihi viſum fuerit. Tune es (inquiunt) Sacerdos? Reſpondeo, ſi demonſtraueritis, me Miſſas dixiſſe, iiſdem teſtibus conuincetis, me Sacerdotem eſſe. Quomodo (aiunt) vocaris? Reſpondeo, quare inquiritis? Si ſuſpectum me habetis, crimen proferte, teſtibus probate: non tam bene de me meriti eſtis, vt in veſtri gratiam quidquam dicam. Quod per leges debeo dicam, & dabo, prȩterea nihil: Petunt; tu Regem agnoſcis? Reſpon-

ſpondeo, de facto Iacobus Rex eſt Scotiæ. Hic multum timui: ſed ſtupidi terminos iuris ignorantes neſcierunt examinare. Dicũt: iura. Reſpondeo, quorſum? Dicunt, vt iuſſu & authoritate Regis ſedentes cognoſcant, an contra ſtatum aliquid moliaris. Purga te iuramento, vel reus habeberis. Reſpondeo, fruſtra iurare, peccare eſt, contra præceptum dicentis: Non aſſumes nomen Dei in vanum: Quod ego facerem, ſi fruſtra Deum in teſtem innocentiæ meæ vocarem, ſciens per leges inuocationem illam nihil mihi prodeſſe: quia in criminalibus leges excipiunt iuramenta, & merito: interdum enim amor proprius facit multos peierare in animę damnationem propter cor-
poris

poris ſalutem. Quare ne iudices decipiantur, & vrgendo iuramenta, Chriſti ſanguine redempta, pereat anima, cauſas criminales teſtibus tantum examinant. Itaque cum non obliger transgredi mandatum Dei fruſtra iurando, non obligor me ab obiectis purgare iuramento. Sed hoc quod dicitis, teſtibus probate: ſi hoc non poteſtis; cur ſine cauſa inſontem vexatis? Dicunt: tune Regis nomine iurare negas? Reſpondeo, Quid iurabo? Aiunt: quæcunque nos interrogabimus, te ſine æquiuocatione & mentali reſeruatione dicturum. Reſpondeo, Nullo iure obligatus iurabo, me dicturum, quæ mihi viſa fuerint: quæ non, ſi interrogor, dicam, me nolle dicere. Dicunt: quæ non vis dicere?

cere? Reſpondeo, quę aliqua ratione mihi ipſi, aut innocenti proximo præiudicare poterunt. Et quare (aiunt) iſta non dices? Reſpondeo, quia non obligor, & nolo peccare. Primò, non obligor peccare; quod facerem, ſi proximum innocentem læderem. Secundò, radix omnium legum ius naturæ eſt (quæ hominis conſeruationem, non ruinam intendit) contra quod ius, & in illo contra omne ius facerem, ſi memet perderem ſponte, aut læderem ſciens. Quare nec contra meipſum, nec contra alium innocentem quidquam volo dicere, aut iurare malum, vel damnoſum. Tandem poſt lõgam diſputationem, vt vexationem redimerem, & quæſtiones periculoſas, & inuidiæ plenas

nas declinarem, iuſſus quæ vellem tantum iurare, iuraui; & interrogatus nomen dixi, familiam, patriam, cognatos, gradum, vbi ſtuduerim, ordinem Religionis Interrogatus, ſi dixiſſem Miſſas in dominiis Regis. Reſpondeo, hoc propter Regis Edicta, & Parlamēti decreta, præiudicare mihi, & proximo, nec ad Regis forū pertinere, & ideo me non teneri dicere: quia nulla lege teneor me, & alios innocentes perdere. Iudices ſi ſint, crimina, non ſacrificia petere debere. Ad forum pertinere furta, proditiones, homicidia, veneficia, & non Sacramenta Religionis. Dicunt. Regem non eſſe Laicum. Reſpondeo, non eſt Sacerdos, nec prima Tonſura ordinatus. Petunt: quare in Scotiam

veniſti?

veniſti? Reſpondeo, vt dedocerem hæreſim. Dicunt, quis mihi iuriſdictionem dediſſet, cum nec Rex, nec vll⁹ Epiſcopus dediſſet? Reſpondeo, ridens, illos omnes cum Rege laicos tantū eſſe, & nullam ſibi iuriſdictionem habere: oues Chriſti Petro eſſe commiſſas; qui illas paſcere vellet in aliqua terrarū parte, à ſede Apoſtolica ius petere debere: vbi ſecundum Chriſti ꝓmiſſa infallibili S. Spiritus aſſiſtentia, continua perſonarum ſucceſſione, in finē mundi conſeruatur authoritas, & poteſtas Principi Apoſtolorum primo data, qua Simon Ioañis in Petram Eccleſiæ duratus eſt, vt Cephas eſſet & Petrus diceretur. Et hinc (inquam) mea iuriſdictio, quā via ordinaria retro numerādo

per

per omnes Pontifices ad Chriſtũ reducere poſſum. Aiunt: crimen eſt læſæ Maieſtatis, aſſerere, Papã habere iuriſdictionem ſpiritualem in Dominiis Regis. Reſpondeo: De fide eſt ipſum habere. Dicunt: audes ſubſcribere? Reſpondeo: etiam ſanguine, ſi opus erit. Et ſic ſubſcripſi. Dicunt: Poteſtne Papa Regẽ deponere? Reſpondeo, legitimum Regem, & obedientem filium Eccleſiæ, vt ſic, non poteſt deponere. Dicunt: quid ſi fuerit hæreticus? Reſpõdeo, multorum Doctorum eſt aſſertio; videlicet, Papã poſſe Regẽ hæreticum deponere. Quid tu (inquiũt) dicis? Cum fuerit definitum, eſſe de fide, pro illa moriar: & cũ iudex Regis, & Papæ fuero, dicam, quid hic poſſit, ille mereatur. Nũc quæ

mea

mea eſt ſententia, dicere non teneor, donec iuridice interroger à iudice controuerſiarum Religionis, id eſt, à Papa, vel ab ipſo authoritatem habente. De puluera-ria cõſpiratione interrogatus, dixi, me deteſtari paricidia, nec illa laudare. Dicunt talia Ieſuitas docere, & Papiſtas. Reſpondeo, legant, qui volunt, acta Concilii Conſtantienſis, & videbunt, hæreticos docere, Catholicos autẽ damnare ſimilia. Nam VVicleff docet, ſubditos, necare poſſe Dominos peccantes, eoſque Ius perdere, dum peccant; & Sacerdotes ſimiliter Sacerdotium amittere: quæ omnia Cõcilium damnauit. Pulueraria conſpiratio paucorũ aulicorum fuit; at non ſic 17. die Septembris veſtra, quando ingẽtiar-

ti armatorũ manu Regem in Prætorio cum Senatu necare voluiſtis: quod & feciſſetis, niſi concurſu opificum ſatellites adiuti, è manibus veſtris Regem eripuiſſent. Duo millia ſunt hodie Edinburgi, qui illo die arma tulerunt; & tot eſſe poſſunt teſtes, tres Prædicantes exhortatos fuiſſe ad fortiter agendum; clamantes; Deus & Eccleſia; cum ex altera parte clamaretur; pro Deo & Rege. Pro quo facto Edinburgum debebat comburi: At certè ingenti ſumma pecuniæ eſt mulctata: Et nec hoc contenti: veſter Achilles, & ſummus Prædicans, qui non procul hinc adhuc degit, Robertus Bruſius, ſcripſit ad huius Marchionis ab Hãmilton parentem, vt veniret ad auferendum coronam ab

indigno Rege Papiſtis fauente; ſe cum ſuis fore auxilio. At Marchio literas Regi dedit, & Prædicantes aliquot exules facti. Hæc non paucorũ aulicorum, ſed Prædicantium fuit conſpiratio, & inſtigatio in foro palam geſta. Contra Ieſuitas nihil præter mentitas ex inuidia ſuſpiciones adferre poteſtis. Hæc, quæ dico, Rex ipſe teſtis oculatus vidit, & mille alij actores.

De Patre Garneto multa interrogant. Reſpondeo, ipſum innocentem fuiſſe, nec debuiſſe prodere nomen Sacramentaliter cõfitentis pro toto mundo. Ait Archiepiſcopus: Si quis mihi confiteretur aliquid contra vitã Regis, etiam perſonam confitentis proderem. Reſpondeo, nemo debet

tibi confiteri. Dicunt, ideo Papã ipſum canonizaſſe. Reſpondeo, Vnde vobis conſtat? Quia pingitur (inquiunt) Romæ inter veſtros Martyres. Reſpondeo, Debile argumentum, quod à Poetis, & pictoribus deſumitur: dico tamen, Martyrem ipſum eſſe, ſi pro confeſsionis ſigillo mortuus eſt: & ſi Papa ipſum Martyrem declarauit, ego volo mori, quod ſit Martyr. Archiepiſcopus ait, apage cũ hypotheſibus tuis. Tu quid dicis? Reſpondeo, ſi vera ſunt, quæ ipſe è carcere ſcripſit, & duorum Regum legati, atq; alij multi nobiles teſtati ſunt ſcripto, & ego tranſiens per Angliam legi, bene & ſancte mortuus eſt, innocenſq; fuit puluerariæ conſpirationis. Illi allegarunt acta publica, Reſpõdeo,

cum hoſtes fuerint, in talibus nō facile illis credi debet: nec rationem video, cur auctoribus meis fide dignis non credam. Sed vtcūque ſit, Reſpondeo, me à nemine fieri harum rerum iudicem, ideoque non plura reſponſurum: veni enim in patriam, vt Chriſtum, nō vt Garnetum prædicarem : ego mea nunc, ſicut ille ſua tunc curauit: quiſque pro ſe, DEVS pro omnibus.

Iam vigeſima ſexta hora erat, cum nihil guſtaueram & febri laborabam: & licet clamore diſputationis incaleſcerem, paroxiſm⁹ tamen ſuperueniens me algere fecit; & ſic ad ignem iuſſus ſum recedere; ibique à Boreali Scoto, & pœnè conciui, nequam compellor, & periurus mendax; qui ho neſtum

neſtum mentitus cognomen, ſceleſtam profeſsionem palliaſſem: ſe effecturum breui, vt nobile nomen Ogilbeorum infami Ieſuitica labe non diu fœdaretur: & ſi tot circumſtantium Nobilium & Aulæ Epiſcopalis rationem non haberet, ſe, ait, ſtatim me in lucentẽ caminum miſſurum. Reſpondeo, ſi in ignem me mittere decreuiſſet, nunquam commodius id accidere poſſe, quam nunc, cũ valde frigeam: ſed, illi cauendum, ne cineres & carbones per domum ſpargerem, & ſic ipſum coactum iri, vt domum verreret, quam fœdari feciſſet. His & aliis iocis hominem excẽpi, adeò, vt & circumſtantes, me in publicum optantes, vt pugionibus cribri inſtar perforarent, riderent hominem,

& ipſe tandem veritate cognita mihi omnia amice promitteret.

Conſul ciuitatis coram omnibus affirmauit me non Ogilbeum eſſe, ſed Stuartum, ſuumque conciuem: fratrem prædicantem nō procul ab vrbe eſſe, matrem in vrbe adhuc viuere: teſtes ciues aliquot adſunt: in rei ſignum furta puerilia, & hortorum direptiones commemorantur. Ego nego; illi aſſerunt: damnor periurus ab omnibus. Adeſt die ſequenti putata mater, filium non agnoſcit, quia concretos digitos non habebam, & non eſſem hebes, ſed acer nimis. Et ſic rideo irriſores meos. Reducor ad carcerem, & inde poſt duos dies ad cubiculum: & paulo poſt ferro in perticæ modum fabrefacto ducentarum librarum,

brarum, duobus annulis nector; ita vt ſedere, & in dorſo iacere poſſem, aliud nihil, niſi parum ſtare, ne ad purgandam quidē naturam.

Redeunt interim Londino litteræ: ocrearum crurifragio iubeor examinari, vt loca, & perſonas Catholicorum prodam. Veniunt à Rege Commiſſarij: damnant mecum captos Catholicos quatuordecim morte, partim patibuli, partim rotæ: & dum Rex de exequenda ſententia interrogatur, diuerſis locis claudūtur damnati: Ego Edinburgum ducor: & dum per turbam damnatorum amicorum, & coniugum ducor, luto, niue, & maledictis excipior, etiā ad hoc inſtigante iudice prouinciali, & Epiſcopi famulis, prohibentibus ſpectantibus Miniſtris.

Et dum ſpernenti ſimilis, equum per plateas alacris ago, mirantur, quod non conſternar. Dixi alta voce, Scotico prouerbio: Temp⁹ tunc cadēdi, dum tollitur caput. Nunquid amplius vultis agere & dicere mihi? Fœmina quædam maledixit toruo vultui meo. Cui ego: benedictio Chriſti ſuper pulchram faciem tuam: quæ palam proteſtata eſt, ſe dolere, quod dixit, & poſthac de me mali nihil vnquam dicturam. Obſeruatum ab hæreticis, quod benedictiones pro maledictionibus darem, lætus iratis.

Ne Edinburgi ex pallio noſcerer, palliū cum toga equeſtri muto ad tempus, at fruſtra. Introducūt quotidie quos poſſunt, interrogantes, ſi me antea vidiſſent,

& cum

& cum quibus: & ſic multos deprehenderunt mecum fuiſſe, & vbi fuerim: & ſparſerunt in vulgus, me occultè omnes prodidiſſe, quos ipſi ſic deprehenderunt, vel de ſe timidos dicere fecerunt, atque alios prodere. Edinburgi in domo Epiſcopali maneo. Ocreæ crurifragiales afferuntur, minantur extrema quotidie, vt loca, & perſonas proderem: ſi proderē, libertatē, & munera ꝓmittunt, & ſi vellem hæreticus fieri, prępoſiturā à Meffet cum nobili matrimonio pollicentur, inſuper & Regis munera. Dixi ridens, hęc propter nominis affinitatem P. Muſſeto offerri debere; non mihi, qui Ogilbeus eſſem. Reſponderunt, ipſum nimis ſimplicem eſſe. Reſpondeo, certè me multò eſt doctior,

ctior, & ſapientior: ſi ipſe ineptus eſt, ego aptus nunquam ero.

Dies dictus adeſt, quo Senatores adſunt, & ego vocor. Petunt, cum in hanc vrbem veniſti, vbi primo hoſpitium ſumpſiſti? Dico me non teneri dicere perſonas, & loca. Iudices ſi dati ſunt, crimina, non perſonas debere inquirere. Dicunt, Regem poſſe inquirere, vbi hoſpitaueris, vt iudicet, ſi cōtra ſtatum Reipubl. aliquid moliaris. Reſpondeo, Si merè ciuilis Regis eſſet quæſtio, reſpondere̅m, at cum ipſum iudicem in ſpiritualibus non agnoſcam, ſalua conſcientia in ſpiritualib. illi reſpondere non debeo. Aiunt, merè ciuilis eſt petitio. Reſpondeo, Non: nam actio, & poteſtas moralis, qualis Regis eſt, ſpeciem, & natu-

naturam à fine, & circumſtantiis accipit. Finis Regis ſpiritualis eſt, quia in odium fidei quærit, vt deprehendat Papiſtas, ac puniat, vt teſtantur captiui Glaſguenſes, & Arreſtati Catholici nobiles. Nam ſi dicerem hoſpitium; timidos faceretis de ſe dicere, atq; alios prodere, qui mecum viſi fuerunt; & ſic illos puniretis: & ego damni cauſa fierem, atq; innocentes ſtultitia mea necarem, aut in periculum peruerſionis propter perſecutionem cõiicerem: quæ omnia contra Deum eſſent, & proximũ; adeoque magnum peccatum. At, cum nemo in Deum, & proximũ peccare tenetur, aut debet, ego huic quæſtioni reſpondere non debeo: quia vna propoſitione vobis data, ad neceſſariã conſequẽ-
 tiam

tiam veſtram traheretis, cũ damno animæ meæ, offenſa Dei, & ruina proximi. Dicũt: tu nõ vis parere Regi? Reſpõdeo, Quæ Regi debeo, omnia præſtabo. Dicũt: Rex Miſſas ꝓhibet, & tu facis. Reſpõdeo, Chriſtone, an Regi parendũ magis, vos iudicate. Rex prohibet: At Chriſtus Lucæ 22. inſtituit, & iuſſit Miſſas fieri; ſicut probabo, ſi vultis. Et ſi Rex damnat, quæ Chriſtus inſtituit, quomodo perſecutor non vult dici? Dicunt, Regem Galliæ patriam prohibuiſſe proteſtantibus; & Hiſpanus propter Religionem vrit. Reſpõdeo, nec Franciſcus Galliam prohibuit; nec Philippus vrit propter Religionem, ſed ꝓpter hæreſim, quæ non eſt Religio, ſed rebellio.

Hic Secretarius annuit Archi-

epiſco-

epiſcopo ridens: ille ſignum nihil curantis dedit capite, tacens. Dicunt: contra Regis voluntatem non debuiſſes venire in regnum. Reſpondeo, Regem ſine cauſa legitima non poſſe mihi patriā prohibere, cum æque naturalis ſim ſubditus, ac ipſe Rex. Dicunt: meritò ſibi, & ſtatui timet à vobis Ieſuitis. Reſpondeo, Faciat tantū, quæ mater eius, & alij omnes Reges Scotiæ ante ipſum, & non erit, cur timeat Ieſuitas, plus, quam Regi eſt Hiſpaniarum, cauſa timoris ab iiſdem. Quid debemus amplius ipſi, quam maiores noſtri maioribus huius? Si ius omne regnandi à maiorib. habet, cur ipſe plus petit, quam ipſi hæreditario iure illi reliquerunt? Illi iuriſdictionem ſpiritualem, nec habue-

runt vnquam , nec vſurparunt: nec aliam vnquam fidem, quam Catholicam Romanam.

Vnus Senatorum iratus dixit, Magnates diſputandi gratia non veniſſe. Reſpondeo, Nec ego diſputo, ſed oſtendo me patria carere non debere, nec ad Regem pertinere, quæ petitis, cũ crimen nullum fecerim: ſi quid feci, probent teſtibus, me contra totam Rempublicam, aut partem aliquã deliquiſſe. Cum horum nihil poteſtis, cur me vexatis? Ait vnus; tu melius te à ſuſpicione cõſpirationis purgare non poteris, quam vt dicas: hic fui cũ iſto, hæc & illa egi in Scotia, ipſos interrogate; & ſi ipſi me conuincant, ero reus: ſi ita procederes per oẽs, cum quib. fueras, nihil amplius tibi obijci poſſet,

poſſet. At cũ taces, de omnibus te ſuſpectum reddis magis, ne complices tui te prodant. Reſpondeo, vtar hoc conſilio, cum expedierit mihi: at modo nõ expedit Primò quia Deum offendendo, proximum proditor perdendo, animã propriam necarem. Secundò nec ꝓdeſſet, ſed obeſſet modò, ne terror veſter, & Regis munera facerent inconſtantem mentiri cònſpirationẽ in veſtri gratiam, & Regis, vt pallium crudelitatis haberetis in mea nece, quem nunc (vt velletis) nõ punitis propter infamiæ timorem. Dicunt, Regem propter Religionem neminẽ necare. Reſpondeo, Et quare Glaſguenſes ad rotas, & patibula ſunt damnati? Dicunt: quæſo non cogas nos te torquere ſecũdum Regis

gis præceptum. Dico, me nihil amplius dicturum. Dicunt, Soaris doctrinam defendis? Reſpondeo, Non legi Soaris librũ: ſi quid habeat, quod non ſit de fide, ipſe defendat, qui docuit: ego Soaris non ſum ſatelles. Si quis ipſum vult refutare, ſcribat librum hac de re meliorem. Dicunt: nox eſt, & nos alia habemus. Tu interim cogita, donec conueniamus iterum, an Regi velis ſatisfacere, vel extrema omnia pati. Reſpondeo, Cogitabo: ſed concluſum eſt, quid ſim facturus, & iam dixi vobis.

Tunc me abire iuſſo, deliberarunt, qua tortura me ad dicendũ omnia cogerent. Tandem concludunt vigilia, & ſic octo diebus, & nouem integris noctib. me ſtilis,

lis, aciculis, acubus, & vellicationibus vigilare coegerunt, minantes mira, promittentes magna; ita vt per totam Scotiam fama vigilij mei vagaretur, indignantibus & commiſerantibus multis vices meas. Multi Comites, & Barones mecum egerunt, vt Regi ſatisfácerem: ſed cum nihil pro rationibus, niſi rationes, impetrarent, re deſperata Epiſcopus dixit, ſe ingentem pecuniæ ſummam dediſſe voluiſſe, vt mecum nihil vnquã negotij habuiſſet. Et dum in magna corona hominũ nobilis quidam, qui vigiliis meis præerat, diceret, ſe cum ſuis effecturum, vt atrociſsima mihi fierent; ſenatũque non prius omiſſurum, quam multis ſuppliciis necati caput in porta occidentali vrbis pẽderet,

in ex-

in exemplum pertinaciæ. Reſpõdeo. Egregij carnifices! ego vos omnes in hac cauſa nihili facio: agite pro hæretica veſtra malitia: vos non curo: rogaui neminem: rogabo nunquam: ſpreui ſemper: poſſum, & volo pro hac cauſa plura libenter pati, quam vos vna cum omnib. inferre poteſtis. Deſinite mihi talia obijcere, hæc lymphatis fæminis obtrudite. Me iſta accendunt, non conſternunt: iſta non aliter rideo, quam ſtrepitus tot anſerum. Reſponſum meum peperit circumſtantibus ſilentium, & ipſe tacens abiit, me cum cuſtodibus relicto. Et poſt parum rediit, amicè interrogans, ſi quid deeſſet? Reſpondeo, Lectus ad dormiendum: tunc tacitè ait, ſe iſta ex politia dixiſſe propter circum-

cũſtantes. Sed ego barbarũ hominis animũ nouerã, & dixi me non curare, nec velle quicquã dictorũ reuocare: me ſcire ſatis, quid agerem, & cum quibus, & quomodo.

Redeunt die decimo Senatores, vocor (debilis eram, nam vigilium ita me debilitauit, vt vix ſcirem, quid dicerem, & quid agerem, aut vbi locorum eſſem, vel in qua vrbe ſæpiſsimè: & tamen prędicantes tunc veniebant obſeruata occaſione ſæpius) vocor, inquã, & commemorant clementiam ſuam, qui non crurifragio, ſed vigilio me tentaſſent. Reſpondeo, Si crurifragio examinaſſent, portatus in ſcholam, vel in templum, docendo, vel exercitia Sacerdotis in confeſsionali exercẽdo panem lucrari potuiſſem: at cum

vigilio

vigilio ſenſitiuam partem fere extinxiſſent, ac necaſſent; quod potuerunt peſsimum mihi fecerunt, nece excepta; cum ſecundum vocationem meam non tibiarũ, ſed iudicii exercitio Chriſto ſeruiam, & Eccleſiæ. Conabantur me conuertere, ſed conuerſione prædicantica, id eſt, ex ſenſato inſenſatum faciendo, & ex Ieſuita ſtultum. Valeat præpoſitura, ſi tali acquiritur conuerſione. Dicunt: niſi ſatisfeceris Regi, atrociora venient. Reſpondeo, ſi eſſem omnia vobis dicturus, iam non dicerem, ne coactus dixiſſe viderer; & ſenſu vt beſtia, non ratione vt homo moueri atque duci. Tentate ocreas : oſtendam duce Deo, me in hac cauſa non plus tibias, quam vos tibialia curare: exiſti-

mo

mo me ad maiora natum, quam vt ſenſu vincar. ſed non in me, ſed Dei gratia confido. Quare, Reſpondeo, me nolle dictis addere, vel demere quicquam: ſi quid ſecundum Deum mihi facturi ſunt, faciant cito, nihil deprecor: vnũ oro, vt quod facturi ſunt, cito faciant. Ait Archiepiſcopus, tu ex paſsione loqueris, nemo vult citò mori, cum bene poſsit vitam ſeruare, vt tu poſsis acceptis oblatis tibi cum Regis gratia. Reſpondeo. Non ex paſsione, ſed ex deliberato animo loquor, & vitã ſeruabo, ſi poſſum, modo pro illa Deum perdere non cogar: at cum non poſſum vtrumq;, quod minus valet pro meliori libenter perdã. Et ſic feſſus vigilio, & ſtando redeo ad cubiculum; vbi quidã Ba-

ro Vice-

ro Vicecomes Prouinciæ Glaſguenſis me excipit conuitiis, exclamans in duritiem cordis mei, & cum Scotus eſſem, auderem recuſare Regi in re aliqua ſatisfacere. Dixit, ſi Rex eſſem, te in cera coquerem, videns hominem verbis officioſis non poſſe placari, agitaui hominem iocis, dicens: ſi Deus te Regem facere voluiſſet, ſapientiorem feciſſet: Et dum ſuper menſam illi præbiberē, & nollet acceptare, iocis ipſum excepi, vt iram excuterem, omneſq; ridere facerem; & in primis abundè Epiſcopum, dicentibus cæteris; me ipſum ita deſcripſiſſe, ac ſi à puero mores nouiſſem.

Die ſequenti amice me in reditu Glaſguam hortos ſuos, & domū viſitare iuſſit vbi & bene habi-

tus

tus fui cum Epiſcopo. Priuſquam caperer, ſolebam noctu Breuiarium dicere in domibus hæreticorum, cum cogerer pernoctare. Obſeruat vnus me ſubmurmurantem, & ceream candelam accendentem, Iudicat me veneficum eſſe. Et poſtquam captus eram, Epiſcopo dicit, & per regionem rumor vadit, cum riſu prudẽtiorũ. Addit de ſuo mentiens, circa me fuiſſe turbam nigrorum animalium, quæ cibo neſcio quo paſcebam, quib. & loquebar. Riſi mihi narrantes prædicantes, nec alio argumento refutaui calumniam, niſi quod dicerem Breuiarium. Pro concione Prædicans dixit, ſe neſcire, quid eſſem adhuc: & Epiſcopus ait, ſi literas non inueniſſemus, & ſarcinam nihil ex

te po-

te potuiſſemus cognouiſſe. Nunquid non hoc intolerabile, te nihil velle prodere, dum tot hac de cauſa fatigentur, & non proficiãt? Riſi, dicens, me dolere, ſe vel argumentum ſuſpicionis me noſcendi inueniſſe.

Epiſcopus Inſularum Andreas Knoxius ait, ſe poſſe ęque Miſſam dicere, ac ego. Petij, an Sacerdos eſſet? Ille negat. Et ego: tu ergo Epiſcopus non es, nec Miſſam dicere poſſes. Ait: ſi inuẽtiones humanas vellem relinquere; neque Religionem ab Apoſtolis prædicatam, atq; ab illis profeſſam ſequerer, mihi bene prouideretur; quia magni animi eſſem, & acris iudicij. Dixi, ipſorum Religionẽ non eſſe adhuc decem annorum: nam me puero tenebatis pro fidei articu-

articulo, non eſſe caput Eccleſiæ, nec dici debere, ſolo Chriſto excepto. Et nunc omnes iurant, & ſubſcribunt, Regem caput eſſe Eccleſiæ in ſuis Dominiis. Tu ipſe antea contrarium iuraſti, & ſubſcripſiſti: non eſt iſta doctriua Apoſtolica: ait D. Paulus, ſi deſtruxero, quæ ædificaui, præuaricatorem me conſtituo: tu concionatus es Paſſeti contra Epiſcopatum, & dixiſti, palam te dicturum, ipſum eſſe diabolum, ac in faciem conſpui debere, qui Epiſcopus fieret: & tamen decimoquinto die poſt, factus es ipſe Epiſcopus. Nec contentus Epiſcopatu Inſularum, in Hybernia alium accepiſti pinguiorem. Gulielmus Andreas Couper librum edidit contra Epiſcopatus gradum, & nunc

C eſt

eſt Gallouidiæ Epiſcopus. Nonne omnes Prędicantes Scotiæ publico conuentu iuraſtis & ſubſcripſiſtis, nomen Epiſcopi, & officium rem abominandam eſſe, & nulla ratione in Eccleſia Dei debere eſſe? & nunc contrarium docetis. Dicite quæſo: eſtiſne præuaricatores ſecundum Apoſtolum? Aiunt, non: ſed magis innotuit veritas; & nunc videmus amplius, quam antea. Reſpondeo, Benè eſt: videtis millia Epiſcopi in reditibus, cum Prædicantes centum numerare vix vidiſtis. Sed dicite: ſi articuli fuerunt tunc veri, quare nunc falſi, & ſi nunc falſi; quomodo tunc veri? Dicebatis tunc eſſe verbum Dei: & dicitis nunc eſſe verbum Dei doctrinam veſtram. Quæ iſta eſt præuaricatrix

trix doctrina, ædificans, & idem deſtruens? vel quod hoc mendax verbum? vel contradictorius Deus quis eſt, cuius verbum prędicatis? Dicebatis tunc eſſe lumen veritatis; ſi debebamus vobis credere tunc, cur credimus vobis modo periuris? Et ſi credere debem⁹ vobis modo, qua authoritate & ratione tenebamur vobis credere tunc? Nam tam tunc, quam nunc Sacram Scripturam allegabatis. Fallor, ſi doctrina veſtra non ſit nequitia mentiens ſibi. Ait Epiſcopus: Domine Ogilbee, ſpiritũ habes, optarem multos tibi ſimiles me ſequi, quib. bene vterer. Reſpondeo. Mallẽ ſequi carnificẽ ad ſuſpendium, quia recta ad Diabolum vadis. Itane loqueris (inquit) mihi? Reſpondeo, ignoſce

Domine, non didici aulicismos, & nos Ieſuitæ loquimur, vt cogitamus: nolo adulari. Honoro te propter ciuilem dignitatem, & veneror canos tuos, cedens ætati: propter Religionem & Epiſcopatum nihili facio. Laicus es, nec plus iuriſdictionis ſpiritualis habes, quam baculus tuus: ſi qualia de te cogito non vis dici, iube me tacere, & nihil dicam. Si vis me loqui, quæ cenſeo loquar, nō quæ tu amas. Doleo (inquit) egeſtatem te feciſſe ex proteſtante Papiſtam. Reſpondeo, Me tuo pede menſuras, & ex teipſo me iudicas, qui duos fidei tuæ articulos abiuraſti pro duobus Epiſcopatibus. Ego patris primogenitus, etiamſi literas non nouiſſem, ex patrimonio, nobilis locum implere potuiſ-

potuiſſem, & ſi, vt tu, vellem Religionem mutare, cum Regis gratia reditus non contemnendos haberem. Ille iratus abijt, & ego ridens remanſi.

Archiepiſcopus interrogatus in Senatu me abſente à Cancellario, ait: mihi, ſimilem in has partes nunquam veniſſe. Et alibi in conuiuio: ſi ego euaderem, ipſe pro me vellet pendere; quoniam puluerem in ollas (Scotis eſt prouerbium) ponerem, ſi euaderem. Neſcio quid futurum. Me tamen coram humaniſsimè alloquitur: totus eſt in inueſtigandis locis, & perſonis, vbi, & cum quibus fui, atque in his puniendis. Mirantur, me non triſtari, niſi aliorum vexatione, & cruce propria lætari. Cauent, quibus poſſunt, modis, ne

quis, niſi præſente cuſtode, mihi verbum dicat, chartam porrigat, aut calamum. Raro aliquis intrat, niſi aut ad vexandum, aut ad cibum dandum: ſi quis alius veniat, habetur ſuſpectus, aut ridetur.

Glaſguam in vigilia Natiuitatis Domini veni, & vtroque pede perticæ meæ nector. Nunc vero vno pede tantum claudor, ſera, & cuneis ferreis duobus firmantib. ferrum, ne ſemper in dorſo iacendo morbum contraham. Redeunt iterum Londino litteræ, vocor ad conuẽtum Magnatum, reſpondere iubeor. In menſa Suarez, & Bellarminus iacent. Petũt, ſi Papa Regem hæreticum deponere poſſit? Reſpondeo, Multorum doctorum eſt ſententia, & valde probabilis doctrina: & quando

defide

de fide fuerit definita, ego pro illa moriar. Hoc donec fiat, nõ teneor dicere quid cenſeam, quouſq; interrogatus fuero iuridicè à iudice cõtrouerſiarum Religionis, hoc eſt, à Papa, vel, ab ipſo auctoritatem habente. Petunt ſecundò, an Rex excommunicatus Papæ iuſſu poſſit interfici? Reſpondeo, Vos nullam iurisdictionem ſpiritualem habetis: quare, ne videar agnoſcere, Regem iuriſdictionem ſpiritalem habere, nolo reſpondere ad quęſtionem de doctrina Chriſtiana: ſi inſtructionis gratia conſuleretis, dicerem: ſed cum tanquam iudices interrogatis, non poſſum ſalua conſcientia dicere, quid cenſeam. Damnaui vtrumque iuramentum Anglis propoſitum: Supremacie, and

Alledgeance. Petunt: an Papa habeat iurisdictioné ſupra Regem? Reſpondeo, Habet, ſi Chriſtianus eſt baptizatus. Petunt poteſtne Papa excommunicare regem? Reſpondeo, Poteſt. Interrogantibus, quomodo poteſt excõmunicare hominem, qui non eſt in eius Eccleſia? Reſpondeo, Eſt in Eccleſia hęreticus quoad poſſibilitatem punitionis, non quoad communionem donorum, & charismatum ſalutis, ſicut enim bannitos, & latrones Rex capere, & punire poteſt; ſic Papa rebelles hæreticos, & à matre Eccleſia fugitiuos caſtigare valet, ac debet. Papa enim acquirit ius ſupra hominem, dũ baptizatur: quia tunc intrat Eccleſiam, & membrum fit myſtici corporis, & ouis gregis Chriſti,

Chriſti, cuius paſtor eſt Papa. At hoc, inquit Archiepiſcopus, faciet multos abhorrere à Baptiſmo. Reſpondeo, Superbos quidem Chriſti humile iugum ſpernentes, & cum patre diabolo ſuam, non Chriſti gloriam quęrentes: alios vero non item.

CONTINVATIO EIVSDEM HISTORIÆ VSque ad Martyrium prędicti Patris incluſiuè, ex relatione concaptiuorum, ac eorum, qui omnibus interfuerunt.

NARRANT autem inter alia, Archiepiſcopum, de quo ſæpe ſupra, rei totius, & quæſtionum habitarum notitiam ad Regem miſiſſe; multaque ca-

lumnioſè, & in malam partem (vt non ſine iuſta cauſa creditur; vouerat enim eum morti tradere) ex poſuiſſe. Quibus omnibus ipſe, cum cæteris nobilibus, qui inter-fuerunt, ſubſcripſit. Idem Archi-epiſcopus cuſtodem carceris, hominem alioquin humanum erga captiuum, loco dimouit, & Oeconomum ſuum illi ſubſtituit, hominem morib. aſperum, & inhumanum; qui eum ferro onuſtum, vt ſupra dictum, in continua ſolitudine relinquebat. Neque ſeris fidebatur, quibus grauia illa pedũ vincula conſtringebantur; ſed cunei inſuper ferrei altrinſecus retorti annulorum nexibus inſerebantur; adeo timebatur, ne euaderet: cum tamen dicere ſolitus fuerit Martyr, ſe ne cerea quidem

vincu-

vincula diſrumpere velle; nec, ſi paterent ianuæ, egredi, vt cauſam tam iuſtam deſereret; donec diuinæ prouidētiæ aliter illi proſpicere videretur. Acceſſerunt inſuper extraordinariæ vigiliæ, ciuibus per vices ſibi in nocturnis excubiis ſuccedentibus. Cum autem Archiepiſcopus Edenburgi exiſtens intellexiſſet, vinctum ab vxore ſua benignius ſolito haberi (quæ tamen id tunc tantum faciebat, cum calices nonnullos de more liberius exhauſiſſet, adeò ſobriæ ſunt inter hæreticos Archiepiſcopiſſę!) eā ad ſe vocauit, vt hac etiam humanitate Martyr priuaretur. Tandem verò literæ à Rege miſſæ ſunt, quibus præcipiebatur, vt morti traderetur captiuus, niſi articulos illos, quib. ſubſcri-

ſcripſit, negaret. Cuius rei rumor increbreſcens, cum ad eum veniſſet, & à cuſtodibus interrogaretur, vt valeret; reſpondit, ſe humo alligatum, ferri cum onere premēte. Et viciſſim eos interrogans, an quid noui accepiſſent: reſpondentibuſque, nihil: ego (inquit) vobis annuncio, Sacerdoti cras, aut poſtridiè moriendum eſſe.

Interim redit Edinburgo Archiepiſcopus multis nobilibus, alijſque fidei Orthodoxæ infenſis ſtipatus, iudicium de Martyre habiturus. Pridiè autem, quam moreretur Martyr, lotis pedibus adſtantes inuitauit, vt nuptiis ſuis craſtino die futuris intereſſent: totam vero noctem ſequentem, tumultuantibus cuſtodibus, cum non ſine moleſtia peregiſſet, facto di-

ĉto diluculo ſeceſſum, vt potuit, ad orandum obtinuit, cæteris excluſis : donec accederet Prætor ciuibus armatis ſtipatus, captiuũ ſe præſtolari aſſerens, interrogãſque an parat⁹ eſſet; & reſpondentem, ſe iam dudum ad abitum paratum eſſe, & horam illam deſideraſſe, educunt è carcere, pallio breui, & detrito ſub axilla ſemicinctum : nam proprium pallium Archiepiſcopi œconomus ſibi vſurpauit. Dum autem procederetur, accurrunt omnis ſexus & cõditiõis homines ad ſpectaculum: & vxores ac cognati concaptiuorum damnatorum, qui aliquot ante diebus multa ei exprobrabant, & niueis eum globis impetebant; vtpote quem omnium calamitatum cauſam eſſe exiſtima-

bant : nunc re maturius perſpe-
cta, eiuſque innocentia, conſtan-
tia, & fidelitate cognita, quippe
qui neminem Catholicorum pa-
tefecerit; fauſta ei omnia non ſi-
ne lacrymarum effuſione preca-
bantur. Quod & tota reliqua (li-
cet hæreticorum) turba factita-
bat.

Porro, introductus in Aulam,
vbi aſſidebant iudices iniquitatis,
in loco ſceleratis examinãdis de-
putato ſiſtitur aperto capite. Pro-
latis vero de more iudicum aſſeſ-
ſorum nominibus, interrogatur,
quid haberet in illis excipiẽdum,
quid obiiciendum? Velletne cau-
ſam ſuam ab illis iudicari? Reſpõ-
dentique, ſi amici eſſent, parem
cum eo calamitatis aleam in pari
cauſa ſubire debere; ſi inimici, æ-
quos

quos iudices ipſius eſſe non poſſe: Dixerunt: Roma ergo tibi iudices accerſendi ſunt, aut certè euocandi illi, qui Miſſam tuam audierunt. Ad hæc Martyr, hi (inquit) pauperes mercium venditione ſibi, ſuiſq; familiis melius proſpicere norunt, quam criminalibus cauſis iudicandis prę ſidere. Et aſſerenti Archiepiſcopo, Martyrē eos pauperes reddidiſſe, ait; ipsū potius hoc feciſſe, eos carceris ſqualore macerando, & ſubſtantiam eorum exhauriendo, dum, quod ipſis ſupereſſet, Archiepiſcopo ad redimendam vexationē tradere cogerentur: ſe vero nulli oneroſum fuiſſe, ſed in id vnum incubuiſſe, vt ſuos, & ſpirituali conſolatione recrearet, & ab hæreſi immunes conſeruaret. Replicanti

canti autem ad hoc Archiepiſcopo eum mentiri: definias (inquit) ſi potes, mendacium: ego, vt cenſeo, loquor, & quæ vera eſſe ſcio. Interrogatus autem, an vellet inter iudices admittere virum nobilem (is erat Catholicus, & accuſatus, quod Martyr in eius domo Miſſas celebraſſet) reſpondit (vt alterum videlicet à periculo liberaret) eum ſibi ſuſpectum eſſe: cũ enim, inquit, mea cauſa accuſat⁹ fuerit, timeo ne iniuriæ memor vindicandi ſe ſtudio contra me incitetur.

Poſt hæc à quindecim iudicibus aſſeſſoribus, ſicut prius, examinatus, more etiam priore ad ſingula reſpondit. Cum autem (vt in ſuperioribus feciſſe eum vidimus) ad vltimas duas quæſtiones

(Vide-

(Videlicet, an Papa Regem deponere poſſit excommunicatum; & an eundem percutiendum tradere, &c.) nil ſe reſponſurum dixiſſet: inſtiterunt iudices, aſſerẽtes, ſilentium in hac re pro confeſsione habendum. Tunc ille: me (inquit) ex verbis, & operibus iudicate; cogitationũ iudicium Deo, cuius id officium eſt, relinquite. Sed nonne vis, aiunt, Regi hac in parte obtemperare? In omnibus, reſpondit, quibus obedire debeo Regiæ maieſtati, me obſequentiſsimum exhibebo: ſi quis enim temporalem eius ſtatum inuaderet, ſupremam ſanguinis mei guttam pro eo propugnando impenderem. At in ijs, quæ ſibi vſurpat Rex, in vſu videlicet ſpiritualis iuriſdictionis, obſequium ei nul-

lum

lum præſtare nec debeo, nec poſſum. Viderit autem Rex, ne, qui alienum ius vſurpat, propriũ perdat, Nihil ego ad iſta reſpõdebo, nę ſpiritualem Regi iuriſdictionem, quam non habet, tribuere videar. Aliud fortaſſe facerem, ſi quis conſilij gratia iſtas mihi quęſtiones proponeret. At ego (inquit vnus ex aſſeſſoribus) te ſuper his difficultatibus conſulo; quid reſpondes? Ridiculum (ait Martyr) mihi videtur, te iudicem cõſilium à me criminaliter accuſato ſuper his articulis quærere. Quare nihil reſpondebo iudicibus ſuper his, donec Eccleſia aliquid certi ſtatuerit. Solum enim prætenditis me in verbo capere, & prętextum crudelitati veſtrę, qua mortem meam appetitis, inuenire. Vi-

re. Videmini mihi muſcarum examini ſimiles, quæ iurulentam patinam vndique obſident; aut piſcatoribus, qui in piſcina anxium vndiq; retibus circumdant piſciculum. Interrogantibus, an parricidia ꝓbaret, ea vero ſe deteſtari dixit: & conuenientibus in vnum iudicibus, vt ſententiam dãnationis collectis ſuffragijs in eũ pronunciarent, diuinum eis iudicium in mentem reuocauit; & iudiciorum ipſorum aduerſus Catholicos iniquitatem exprobrauit. Tum Archiepiſcopo interroganti, an, ſi exilio condemnaretur, vita donatus, vellet in patriã redire? Si (ob patratum (inquit) facinus aliquod exularem, cauerem vtique redire; at ob hanc, quam ſuſtineo, cauſam exul factus, non omit-

omitterem in patriam repedare.
Atque vtinam ſinguli capilli capitis
mei mille ad fidem Orthodoxam
conuertere poſſent, & te in
primis Archiepiſcope; neq; enim
hiſce veſtris iniquis ſtatutis, ſine
lege, ſine authoritate contra veræ
Religionis cultores editis refragari
conſcientiæ duco: præſertim
cum omnium Regum noſtrorum,
& Reginarum ſuperiorū ſæculorum
leges, & ſtatuta meę cauſæ
patrocinantia ad manum habeā.
Quod ſi Rex vos omnes Miniſtros
in patibulum egiſſet, cum
vos ei oppoſuiſſetis in cōciliabulo
habito Taiduni, aut Aberdoniæ,
ſtatuentes, nullum debere
caput Eccleſiæ in terris agnoſci;
tum profecto vererer ab exilio in
patriam redire. At cum vobis in
tam

tam iniqua cauſa pepercerit (vtpote quæ militat cõtra ipſius perſonam, quæ ſe dicit caput Eccleſiæ) cur ego non obediam potius Chriſto, quam Regi? cur eum in tam iuſta cauſa mihi beneficum fore non ſperarem, qui in tam iniuſta vos etiamnum tolerat?

Iudicibus mox à conſultatione reuerſis, profertur in eum mortis ſententia, quæ eiuſmodi fuit, vt ſcil. ad patibulum duceretur in foro ipſi erectum, ibiq; ſuſpenſo, caput amputaretur, & corporis diſſecti quatuor partes omnium oculis in quatuor diuerſis locis publicis ſpectandæ relinquerentur. Tum Martyr gratijs actis, & benedictiõe ei impertita, qui ſententiam pronuntiauit, ſimulque eum amplexans, & cæteris cum

Archie-

Archiepiſcopo gratias agens, eiſque dexteram iungens, omnibus ignoſcere ſe dixit ex corde, ſicut optauit, Deũ ſibi peccata ignoſcere: & Catholicorum orationibus, ſi qui ibi occulti eſſent, ſeſe commendans, & ad murum conuerſus orationi ſe dedit, præcipiente interim Archiepiſcopo, ne, cũ eſſet condemnatus ob crimen læſę Maieſtatis, quidquam populo ſpectaturo loqueretur. Dum autem Martyr oraret, & alij oẽs pranſum abirent, accedit ſeruus Epiſcopi cum Vicecomite, & carnifice, (quem amplexus bono eſſe animo iubet Martyr, & ſe illi ait ignoſcere) traditum ac vinctũ ad locum Martyrio deſtinatum trahi iubet. Quo cum veniſſet, confluente ad ſpectaculum toto populo; cui

lo: cui verba facere prohibitꝰ eſt; patibulum ſibi paratum amplexans, & exoſculans, in orationem incumbi. Miniſtro autem adſtãti, & palam vẽditanti populo, vinctum non ob religionem, ſed ob crimen læſæ Maieſtatis ſupplicio affici, capitis agitatione (cum loqui ipſi prohibitum fuiſſet) mendacia illa ſibi diſplicere indicauit. Et quidam ex cognatis eius, qui eum ad hæc etiam patienter ferenda hortatus eſt, præceps à famulis Archiepiſcopi in ſubiectam patibuli theatro plateam actus eſt, ac ruptis ceruicib. interiiſſet, niſi ſupra confertam multitudinem cecidiſſet, ijſdem famulis dicentib. quid tu perduellis alteri perduelli patrocinaris? Quæ cum fieri percepiſſet Martyr orationi

tioni inſiſtens, miror (inquit) veſtrum agendi modũ: me pro mea cauſa loqui prohibetis, & interim cauſam eandem, & me ſimul mẽdacijs veſtris populo traducitis. Imponitis n. mihi, dum me in Regis præiudiciũ aliquid dixiſſe fingitis: nihil tale dixi, aut feci: tantum aſſerui, Papam ſpiritualẽ habere iuriſdictionem in dominiis Regiis, & toto mundo apud Chriſtianos, & poſſe Regem hæreticũ excommunicare: ſi aliud dixi, populo oſtendatur: nam his, quæ dixi, ſubſcripſi, & pro iis mori paratus ſum; vos autem falſa de me ad Regem ſcripſiſtis, & nunc ea populo perſuadere vultis. Ego cum alio Scoto (patrem Crychtonum interrogatus intellexiſſe ſe reſpõdit) plura in obſequiũ Regiæ Maieſta-

ieſtatis apud exteras nationes feci, quam vos, aut omnes miniſtri Scotiæ facere poteſtis: & pro ea vitã exponere paratus ſum. Nunc autem ob ſolam Religionem morti trador. Et Miniſtro interrogante, num mortem timeret: nõ magis (inquit) pro tam bona cauſa, quam in patinas, cum ad cœnam accedis. Tunc manibus de nouo ita arctè poſt terga reuinctis, vt digiti ei tremerent, ſcalas aſcendere iuſſus eſt: quo in aſcenſu orationi inſtans, & Catholicorum, ſi qui forte adeſſent, ſuffragia poſcens, B. Virginem, & cœlites oẽs inuocare cœpit, ſpẽ ſuam in meritis Sanguinis Chriſti repoſitã eſſe aſſerens; idq; omnibus audientibus, primum Latinè, tum Anglicè. Et carnifex poſt iterata Vice-

comitis mandata, vt eũ è ſcala deturbaret, tandem renitens, & multum compatiens, deiecit eum de gradu. Quod cum fieret, magnus populi ortꝰ eſt tumultus, ac murmur, omni ſexu, & ętate iniuſtæ eius morti condolente, & deteſtante Miniſtrorum, & præſertim Archiepiſcopi, crudelitatem; ac orante, vt Deus ſanguinis innocẽtis vindictam ſontib. retribueret, ſeruato populo innoxio. Quas querelas in prædicationibus ſequentibus exprobrabant eis Miniſtri, dicentes, nõ decere eos ob perduellis, & ſeductoris mortem conqueri. Sed populus inter ſe calumnias Miniſtrorum, & iniuſtas accuſationes, à Martyre efficaciter reiectas, identidem repetebat; nec non oblatam illi præpoſiturã, ſpon-

ſponſam, Regia munera, & cætera, quæ certiſsima erant innocentiæ indicia. Sanctiſsima autẽ Martyris anima corporis ergaſtulo ſoluta funis reſectus, & ſacrum corpus in ſubiectos aſſeres magno illapſu, nullo retinente ruit, & per carnificem, & hæreticos pollinctores (nemo enim Catholicorũ accedere audebat) ciſtæ incluſum, in quodam loco extra vrbẽ, reis ſepeliendis deſtinato, terræ mandatum eſt.

Viſus eſt autem veſpere eques quidam ad duo circiter millia paſſuum extra vrbem, qui cum ſciret Sacerdotem morti traditum fuiſſe, magna feſtinatione rediit ad ſuos: & nocte intempeſta circa ſepulchrum Martyris viſi ſunt 40. equites, qui creduntur ſacra pi-

gnora abſtuliſſe. Catholici ſine dubio erant: re ſiquidē Magiſtratui patefacta, qui magno comitatu mane ad locum venit, inuenta eſt terra nonnihil mota. At iubēte Magiſtratu, explorarunt quidam, infixis terræ acuminatis bipennium ſtylis, an effoſſa fuiſſet ciſta; ſed deprehenderunt reſiſtentem. Vnde prohibitum, ne amplius inquirerent; inde ſcilicet conſtare aſſerentes, corpus non fuiſſe ablatum.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA